

tuales sibi infusos immediate in seipsis, argumentum vim haberet, et difficile redderetur ratio cur non posset Angelus intelligere tales habitus sine specie superaddita. Cæterum cum intelligat illos per suam causam, et radicem a qua emanant quæ est gratia, vel cui subordinantur, quia iste est connaturalis modus cognoscendi in Angelo, consequenter debet uti ad eorum cognitionem specie illa repræsentativa gratiæ in cuius penetratione, et connectione ad tales habitus, ipsi cognoscuntur. Et ex hoc respondetur ad secundam instantiam de speciebus: dicimus enim quod species istæ cum supernaturales sint, ex eadem radice, et causa cognoscuntur, qua habitus ipsi cui deserviunt; et sic per speciem repræsentativam gratiæ, ut infunditur Angelis, vel in eo statu, et perfectione in qua habet annexas species ordinis supernaturalis, repræsentatur etiam quidditas, et natura specierum, quatenus annexæ de facto sunt ipsi gratiæ pro tali statu. Si autem species ipsæ infusæ intelligerentur seorsim a sua radice, cui connectuntur, quæ est gratia, sequeretur ille processus in infinitum, sicut sequitur in speciebus ordinis naturalis, si ipsæ cognoscerentur ab Angelo, non in sua radice cui connectuntur, et debentur, scilicet in essentia, et intellectu, sed secundum se seorsim, et per alias species, ut ostendimus supra.

XXII. Ex his manent soluta omnia quæ adducit Vasquez disputatione illa ccciv, cap. ii, tamquam difficultatem facientia contra hanc sententiam, quod substantia Angeli deserviat pro specie intelligibili ad cognitionem sui: ostendimus enim quomodo id fieri possit, et quomodo substantia non solum assistat, sed etiam vere determinet, et perficiat intellectum, non solum ut ejus ra-

dix et subjectum, sed etiam ut objectum, quia sub utraque ratione ab illa substantia emanat, et perficitur ab ipsa, tum in essendo, tum in intelligendo, in intellectualitate activa, et in intelligibilitate objectiva, utriusque perfectionem, et determinationem ei communicans per ipsam emanationem a tali principio, quia utramque habet in se substantia Angeli.

XXIII. Adhuc tamen instat Scotus, quia Angelus potest cognoscere substantiam suam abstractivam, et non solum intuitive, et ut præsentem, quia potest intelligere ipsam quoad prædicata quidditativa tantum et ut possibilem, abstrahendo ab existentia, quia hæc accidentaliter sibi convenit, et non ut prædicatum quidditativum: ergo indiget specie repræsentante abstractivam suam substantiam. Patet consequentia, quia substantia Angeli conjuncta intellectui non potest repræsentare se abstrahendo a præsentia, et existentia, cum hoc ipso quod ibi informat seu determinet intellectum, præsens illi sit, et existentem illum reddat sustentando ipsum: ergo non potest repræsentare se, nisi ut præsentem, et existentem, non abstractivam.

Confirmatur, quia nulla species potest deservire intellectui nisi actuet illum, et non solum assistat, quia deservit ei ut principium intelligendi, et operandi, et consequenter ut forma, et actus ejus, sicut in exemplo allato a D. Thoma de calore subsistente, qui esset principium operandi: nam in ipso exemplo manifestum est quod si calor esset subsistens, et consequenter non informans lignum, sed ei assistens, non posset ligno esse ratio, et principium calefaciendo: ergo species si sit subsistens, non erit intellectui ratio, et principium intelligendi, quia non poterit informare

ipsum, sed solum ei assistere, cum substantia sit, et subjectum sustentans, non forma informans.

Respondetur concedendo antecessus, quod possit Angelus suam substantiam abstractivam cognoscere, et remove per considerationem existentiam ab essentia, cum non sit prædicatum essentiale ejus. Et constat quod potest Angelus apprehendere substantiam suam in statu quo considerari potest antequam crearetur, et in statu quo considerari potest si annihilaretur: tunc enim si annihilaretur Angelus maneret sine existentia; et solum quidditativa prædicata possent in illa essentia considerari. Negamus tamen consequentiam, quod ad hanc cognitionem abstractivam non possit uti substantia sua, tamquam specie inadæquate se habente, et inadæquate utendo illa ad repræsentandum solum id quod essentiale est in illa substantia, et non quod accidentale seu accidentaliter conveniens, sicut potest Angelus uti specie leonis ad cognoscendum ejus quidditatem, et non ejus existentiam, vel alia accidentia: ex unica enim specie potest formare diversos conceptus, quia una species Angeli plura, et diversa objecta materialiter conjuncta sub eadem formali ratione repræsentat, et potest uti illa inadæquate pro uno objecto, et non pro aliis, et formare ex illa diversos inadæquatos conceptus, ut docet S. Thomas quæst. viii de verit. art. xiii ad ii et iv, sic substantia Angeli quæ repræsentat seipsam objective intellectui, et similiter repræsentat existentiam ejus, et subsistentiam, reliquaque accidentia potest accipere ab intellectu ut repræsentet unum, et non aliud; et sic cognoscere naturam sine sua subsistentia, qualis maneret si assumeretur hypostatice a Deo, et sine existentia, ut si consideretur annihilata, vel ut produci-

bilis, nondum ut producta; et sic utendo illa inadæquate, potest cognoscere se abstractivam. Et cum instatur, quod substantia non potest repræsentare seipsam, nisi ut præsentem, et existentem, quia sic informat, et sustentat intellectum quando intelligit ipsam, distingo; si adæquate consideretur ab Angelo, et sub omni modo quo est in se præsens et existens, concedo; si inadæquate consideretur, et inadæquate utatur illa Angelus quoad unum prædicatum, et non quoad aliud, nego: licet enim in se præsens, et existens sit essentia, et sic sustentet, et informet intellectum, nec ista informatio possit variari ab Angelo, tamen quoad applicationem, et usum, et in ordine ad elicendam cognitionem potest intellectus uti illa adæquate, vel inadæquate; et sic non intelligere totum quod in illa substantia est, sed aliquid accipere, et aliquid omittere, quia plura continet repræsentanda, quæ ab intellectu Angeli dividi possunt. Nec est idem de intellectu beati videntis Deum, qui non potest sic inadæquate videri quoad essentiam, et non quoad existentiam, quoad unum attributum, vel Personas, non quoad aliud, eo quod omnia illa sunt simplicissime unum et quidditative, et essentialiter eadem res. Unde respectu cognitionis essentialis, et intuitivæ, quæ tendit ad illam rem, ut est in se, non est locus utendi essentia divina, ut inadæquate repræsentanti cognitioni beatificæ, quæ est Dei in se unum attributum, et non aliud, vel essentiam, et non existentiam: sic enim desineret illa cognitio esse quidditativa intuitiva, et beatifica ut præcedenti tomo, disp. xv ostendimus. Substantia autem Angeli non sic se habet, sed repræsentat aliqua, quæ non sunt essentialia prædicata, ut existentiam, subsistentiam, et alia, et inter ipsa

prædicata quidditativa etiam potest præscindi unum ab alio respectu cognitionis inadæquatæ, et imperfectæ quod in cognitione rei creatæ semper locum habet; et sic potest abstractione cognoscere suam substantiam sine existentia, utendo illa, ut specie inadæquata.

Ad confirmationem respondetur nos non dicere quod substantia Angeli in quantum species, et objectum intelligibile, sit solum assistens et non intime conjuncta ipsi intellectui, eumque informans, et actus, sed diversimode quam objectum extrinsecum, seu species accidentalis superveniens, quia substantia ipsa informat per identitatem ipsum intellectum radicalem qui est ipsamet essentia, seu natura Angeli, ut radix est potentia intellectivæ, quæ est accidens, et ex tali identificatione quatenus eadem substantia, quæ radix est potentia intelligendi intime est etiam objectum intelligibile subsistens, redditur per emanationem ab ipsa intellectus ipse determinatus, et completus intelligibiliter, sicut redditur intellectivus, et elicivus proxime, eo quod ab utraque ratione, et objectiva, et subjectiva substantiæ Angeli emanat; et sic determinatus ab ipsa in ratione objecti manet, et procedit ad eliciendam cognitionem sui, ut declaratum est. Calor autem si esset subsistens extra lignum, licet esset assistens extrinsece, non esset ei ratio calefaciendi, sed per se seorsum calefaceret. Si autem esset subsistens, et identificatus ligno, sic esset ipsi ligno ratio, et principium calefaciendi, sicut nunc species Angeli seu substantia ut intelligibilis est subsistens per identificationem ipsi intelligenti, et intellectui ipsi in sua radice identificatus, ut optime Cajetanus dicit quæstione sequenti lvi, articulo primo.

ARTICULUS III.

Utrum respectu aliorum objectorum habeat Angelus species infusas, vel acquisitas?

Circa objecta extra se, quæ Angelus intelligit, duplex difficultas circa eorum species consurgit.

Prima, an dentur species accidentales distinctæ ab ejus substantia, et intellectu in mente Angeli, quibus informetur ad eliciendam cognitionem circa objecta extra se.

Secunda, an tales species si dantur, sint a Deo infusæ, vel ab essentia, et intellectu Angeli emanantes, vel ab objectis exceptæ, media aliqua vi eas hauriente, et depurante, ita quod ad hoc sit in Angelo virtus, seu potentia aliqua sicut intellectus agens.

ANGELUS INDIGET SPECIEBUS SUPER-ADDITIS, IDQUE EFFICACITER PROBATUR A D. THOMA.

I. Fuisse aliquos auctores qui negaverunt requiri species intentionales ad eliciendam, pariendamque notitiam a potentia, diximus in libris de Anima q. vi, art. ii. Specialiter Angelis eas negaverunt Durandus in ii, dist. iii, q. vi, n. xvii et sequentibus, Gabriel, Ocham, Basolis, Gregorius quos citat Vasquez hic disp. cc, c. i. Et Durandus quidem exclusit speciem, quæ est similitudo, quia similitudinem existimat petere identitatem specificam, seu convenientiam naturæ, cum eo cuius similitudo est, quæ utique non intercedit inter illam qualitatem intentionalem, et objectum ad extra, v. g. Petrus in se, et species intentionalis ejus non conveniunt entitative, et realiter; et sic unum non est

realis similitudo alterius quia non est entitative ejusdem rationis. Gabriel autem putat sufficere objectum ad extra propositum simul cum potentia ut ad illud cognitio feratur. Sed quia contingit sæpe intelligi objectum quod non est præsens, et sic intuitive non attingitur, sed abstractivè, addunt Ocham, Gabriel et Gregorius fieri illam abstractivam cognitionem, non a specie, quæ sit similitudo superaddita, sed ab habitu, seu determinatione aliqua relicta ex notitia intuitiva.

II. At vero p. Vasquez loco citato cap. iii et postea disp. cciv, cap. ii existimat non esse aliquam rationem quæ convincat Angelos habere species superadditas, ut cognoscant alia objecta extra se: posset enim aliquis dicere quod potentia intellectiva Angeli determinatur ab objectivo extrinseco, non autem esse necessariam formam intrinsicam loco objecti in Angelo: nam proprium est facultatum cognoscentium, et appetentium, ut determinantur ab objectis, non efficienter, sed peculiari modo concurrentibus ad operationem, sed facultas appetens determinatur ab objecto existente in cognitione; intellectus vero ab objecto exterius existente secundum illud esse præteritum, præsens, aut futurum quod accommodatum est intellectui: nam eo ipso quod est intra latitudinem intellectus, potest ab eo determinari. Ponere autem species in Angelis difficultate non caret, quia vel sunt acquisitæ a rebus, cujus contrarium docet D. Thomas et nos statim probabimus contra Scotum, vel sunt infusæ a Deo, et non debitæ ipsi naturæ angelicæ; et sic erunt supernaturales, utpote a solo Deo factibiles, et ipsi naturæ non debitæ, possetque Deus eas denegare, nulla violentia facta naturæ, sicque naturaliter, et sine violentia posset manere Angelus

absque ulla cognitione. Vel sunt species debitæ ipsi naturæ, et ortæ ex principiis ejus, et hoc stare non potest, cum species intellectus Angeli determinatæ non sint ex natura rei: nam vel habet species omnium possibilem, et hoc est infinitum, et soli Deo notum, vel eorum solum quæ Deus creat, aut creare voluerit, et hoc non est determinatum ex natura rei, sed ex libera Dei voluntate; non dimanat autem a natura tamquam passio, nisi quod determinatum est a natura.

III. Dicendum nihilominus est, Angelum indigere speciebus accidentalibus superadditis ad cognoscenda alia objecta extra se, idque efficaciter convinci non minus in Angelis, quam in nobis. Et quidem hæc indigentia specierum vel probanda, et convincenda est pro omnibus potentiis cognoscitivis generaliter tam in Angelis quam in nobis, vel quia et si concedatur in nobis, negatur tamen in Angelis, sicut facit Vasquez. De primo non est in præsentia agendum; sed in libris de anima late a nobis ostensum est quæst. vi, art. ii et iii necessario requiri istas species ad formandam cognitionem, quia hæc est natura facultatis cognoscitivæ, quod requirat concursum objecti ad suum actum, non quomodocumque, sed intra se apprehendendo, et habendo illud. Unde hæc est communis omnium conceptio distingui potentiam cognoscentem ab appetente, quod illa trahit res ad se, ista vero fertur ad res extra, quia appetitus fertur pondere ad sua subjecta, intellectus vero similitudine. Unde intra se format similitudines et ideas, et representationes rerum, ut quotidiana experientia videmus, et ille melius intelligit, qui similitudines, et imagines rerum vivaciores format et rebus ipsis conformiores. Quare potentia cognoscitiva ex vi sua, et